QUÆSTIO
THERAPEUTICA
PRO BACCALAUREATU;
MANE DISCUTIENDA,

In Almâ Monspeliensium Medicorum Academiâ.

Die 14 *Octobris* 1713.

R. D. ANTONIO DEIDIER Professore Regio

PRÆSIDE.

An Catalepsi Hydragoga?

Quam Propugnabit in Augustissimo Monspeliensis Apollinis Fano ISAACUS DEVILLE Americanus, Artium Liberalium Magister, & jamdudùm Medicinæ Studiosus.

MONSPELII,
Apud HONORATUM PECH, Regis, Universitatis, Cleri & Urbis, Typographum. 1713.

DISPUTATURI
Professores Regii.

R. D. FRANCISCUS CHICOYNEAU, *Cancellarius.*

R. D. JOANNES CHASTELAIN, *Decanus.*

R. D. JOANNES BEZAC.

R. D. PETRUS CHIRAC.

R. D. PETRUS MAGNOL.

R. D. PETRUS RIDEUX.

R. D. ANTONIUS MAGNOL, *Patris Coadjutor.*

R. D. JACOBUS CHASTELAIN *Patris Coadjutor.*

Doctores Aggregati.

R. D. JOANNES HENRICUS HAGUENOT.

R. D. HENRICUS HAGUENOT, *Patris Coadjutor.*

Doctores Ordinarii.

M. EUSTACHIUS MARCOT.

M. ANTONIUS FIZES.

M. MICHAEL FOURNIER, *Presbiter & Canonicus.*

M. LUDOVICUS FONTAINE.

QUÆSTIO THERAPEUTICA,

AN

Catalepsi Hydragoga ?

CATALEPSIS, sive catoche, quam nonnulli & congelationem & siderationem vocant, est perfecta vel imperfecta, tùm & simplex vel complicata. Perfecta, essentialium symptomatum ratione, deffiniri potest; *Ea functionum animalium abolitio, in quâ ægrotantis membra per se quidem immota remanent in eodem situ in quo æger morbo deprehensus est, sed si ab adstantibus moveantur, quemlibet alium suscipiunt situm, retinentque.*

In omni Catalepsi perfectâ & simplici fit repentina motûs voluntarii & sensuum privatio, quâ correpti eam membrorum positionem retinent quam in ipsâ invasione obtinuerunt, ita ut si fuerint jacentes, sedentes, stantes, bibentes, manducantes, scribentes &c. eamdem figuram retineant, sed absque ullâ pulsûs & res-

pirationis mutatione. Immoti per se remanent tametsi concussi, ergo motu voluntario destituuntur. Interrogati non respondent, ergo non audiunt. Apertos ac defixos in unum locum habent oculos, nec obtutum mutant quâvis re oculis objectâ, ergo non vident. Compuncti membrum non retrahunt, ergo non dolent. Omni orbantur sensu. Immoti per se sunt Catalepticorum pedes, sed ad ambulandum sunt compositi. Quietæ sunt illorum manus, sed ad accipiendum, & digiti ad intendendum exporrigi possunt ab adstantibus. Singula Catalepticorum membra per se immota facilè adstantes movent, elevant, deprimunt, flectunt, extendunt, membraque nullatenùs resistunt & susceptum servant situm toto morbi decursu. Superatur elevati membri gravitas naturali musculorum contractione. Si erectis hînc cruribus, illinc brachiis & trunco, totum Cataleptici corpus unico velut puncto supra nates subfultum collocaveris, sic remanebit collocatum. Si erectum corpus, ita ut pedibus insistat, propuleris, progredietur, & ita librabitur, ut cavere videatur ne cadat. Si pedibus insistens sibi permittatur, firmum & immotum stabit, imò etsi pedi unico, sed libratum institerit, firmum stabit & immotum, idque quandiù duraverit morbus.

Hæc iterùm atque iterùm observavimus, decem ab hinc annis, in nosocomio Monspeliensi coram plurimis Medicinæ Doctoribus & Studiosis, qui omnes unanimiter consentiebant in hâc duplici observatione singula Catalepticorum membra, nullatenùs rigida, facili negotio diver-

simodè inflecti ab adstantibus. Harum prima Catalepsis uno tenore perduravit viginti quatuor horas in juvene decimum quintum vel decimum sextum annum agente, qui antea naturaliter stupidus febre malignâ cum comatoso affectu correptus fuerat. Altera fuit periodica per octiduum integrum in adolescente alioquin sanissimo; hæc quotidiè recurrebat, & non nisi spatio horarum circiter octo finiebatur.

Nunc imperfectam & complicatam perpendamus Catalepsim. Imperfecta duplex; altera, in quâ ægri obscurè audiunt, parùm vident, sed loqui non possunt, neque membrum ullum movere; altera, in quâ sensus omnes abolentur, sed aliquis motus membrorum remanet involuntarius. Prioris exemplum refert Galenus Comentario 2. in pror cap. 55. ubi cujusdam condiscipuli sui proponit historiam, qui cùm assiduo sese studio fatigaret, imperfectâ Catalepsi correptus est. Posterioris verò exemplum habemus adhuc vivum in sacerdote Rhuteno, qui temperamento melancholico, corpore robustus, & sexagenarius, quatuor ab hinc annis subjicitur Catalepsi imperfectæ per periodos recurrenti. In eo penitùs abolentur sensus omnes, oculi sunt aperti & firmè intenti; motus verò non item abolentur omnes, namque, dum sacrum celebraret, abolitis subitò sensibus & toto corpore immotus, leviter manus confricabat; alia hujuscemodi consueta mechanicè præstat absque ullo voluntatis actu, nec ullatenus recordatur rerum paroxysmi tempore gestarum; adeo ut ipse asserat singula paroxysmo-

rum tempora sibi fuisse quasi non extitisset. Hanc imperfectam Catalepseos speciem simùl & complicatam suspicamur. Verùm evidentiores vidimus complicatæ Catalepseos species, in quibus nonnulla ægrotantis membra naturaliter flexilia remanebant veræ Catalepseos causâ, alia verò membra præter naturam rigida convulsionis ratione.

Guillelmus Bousquet Calvisonensis apud Rhutenos, sexagenarius, post diuturnas rerum domesticarum curas & febrem malignam quâ per decem dies laboraverat, nempè à 23. Aprilis ad 3. Maii anno 1710. correptus fuit verâ Catalepsi convulsionibus complicatâ. Erat enim omni sensu motuque voluntario destitutus; illius artus, caput, & truncum movebam ad libitum. Hæ partes quemlibet situm suscipiebant, susceptumque retinebant; interim maxilla inferior adeò vehementer contracta & constricta erat, ut nullatenùs potuerit ab adstantibus diduci, idque per 24. horas, per quas duravit affectus. Ejusdem Cataleptici crura interdùm facillimè, modò ægrè flecti poterant. Ejus verò brachia & manus semper omninò flexiles absque ullâ sensibili rigiditate permanserunt.

Joannes Soladier, quadragenarius, longo itinere fatigatus, & novissimus miles curis admodum maceratus, die 8. Julii an. 1710. incidit in omnimodam sensûs motûsque voluntarii abolitionem, cum pulsu naturali & liberâ respiratione. Illius brachia facilè mobilia quemlibet impressum ab extrinseco situm sumebant ac retinebant; ejus verò crura semiflexa fuerunt

ac rigida, nec nisi vi summâ poterant extendi, itèmque maxilla ejus inferior identidèm convellebatur.

Affectam esse in omni Catalepseòs specie eam interioris cerebri partem, quæ vulgò Emporium dicitur, abundè declarat ea functionum animalium læsio quâ Cataleptici corripiuntur. Non enim potest anima, pro suo cùm corpore consortio, functiones suas exercere nisi per debitas fibrillarum Emporii vibrationes. Hæ vero naturaliter vibrantur, aut per ipsas fibrillarum nervosarum vibrationes ab objectis externis excitatas, aut per immediatum ipsius animæ nutum, aut demum per arteriarum adjacentium subsultus. Fibrillæ singulæ disponuntur ad vibrationes per naturalem tensionem, quam ex duplici fonte mutuantur, scilicet ex innatâ firmitate sive textu aliis firmiore, & ex jugi commeatu spirituum animalium. In Catalepsi perfectâ & simplici ità penitus abolentur functiones animales, ut Emporii fibræ nullatenus vibrari possint ab objectis externis, nec ægrotantis nutu; ergo debent esse præter naturam laxæ, non ex spirituum penuriâ, sed quòd illarum textus imbuatur sero. Non enim membra possunt ex spirituum penuriâ quemvis situm suscipere, susceptumque retinere. Ideò solùm membra remanent in Catalepticis per se immota, quòd non possint ob laxitatem vibrari Emporii fibrillæ, nec ad nutum animæ, nec ad objectorum externorum impressiones. Undè non possunt spiritus consueto more ad peculiares corporis musculos determinari ut partes ad nutum animæ moveantur aut ad impressiones objecto-

rum. Cùm sani sumus, non aliter ex arbitrio vel ex objectorum occasione movemus membra, quàm quòd tensæ Emporii fibræ, & facilè obsequentes animæ nutui & objectorum impulsui, vibrantur, spiritusque ad partes determinatas propellunt. Sed cur facilè moventur ab adstantibus Catalepticorum membra? quia fit ut flectantur nervi ad partem ab adstante dimotam pertingentes, & sic spiritus ad partis dimotæ musculos propellantur. Non alia in Cataleptico causa est, quàm in sano v. g. brachium laxante suum. Ei brachium ut libuerit dimovebis, attolles, deprimes, flectes, extendes, rotabis in gyrum. Si ambo extenderis brachia, nonne tibi liberum erit brachia tua in eo situ retinere, donec ex dolore cogaris ea remittere? Undè hoc fit, nisi ex tuo nutu ac dein ex dolore? Cataleptici verò nec nutum habent, nec dolore afficiuntur. Ergo perseverabunt eorum membra per morbi decursum in eodem situ, in quo adstantes ea collocaverint. In omni verò Catalepsi & Soporosis affectibus remanent pulsus & respiratio sicut in statu sano, quia per naturales arteriarum cerebri subsultus, independenter à voluntate & à sensibus externis, mechanicè, ordinatè, & successivè fluunt spiritus animales ad varios illarum partium musculos.

Vides igitur quod in Catalepsi perfectâ & simplici spiritus animales debitè & ordinatè per nervos pellantur à naturalibus arteriarum cerebri subsultibus. Pelluntur verò inordinatè in Catalepsi convulsionibus complicatâ, quia tùnc arteriæ cerebri inordinatè & inæqualiter

dilatantur

dilatantur, ut patet ex Epilepsiæ theoriâ. Qui fluunt spiritus animales in omni Catalepsi non possunt esse causa relaxationis fibrillarum Emporii; Ergo hæ relaxantur ideò quia firmus alioquin illarum textus à luxuriante sero præternaturam remollescit, liberâ remanente propriâ cavitate ferendis spiritibus destinatâ, sicut & servatur cavitas fibrillarum nervi laxati sero, in Paralysi; unde liberè ac sine ullo sui vitio fluunt in partes spiritus in utroque affectu. Sed sicut in imperfectâ Paralysi non laxatur sero totus nervus, sed nervi pars; ita non omnes in imperfectâ Catalepsi laxantur Emporii fibrillæ, sed plurimæ duntaxat, aut saltem non æquè omnes. Hinc si laxentur æquè omnes, perfecta erit Catalepsis, in quâ motus voluntarii abolentur omnes & omnis functio animalis. Si non laxentur æquè omnes, Catalepsis erit imperfecta, in quâ obscurus remanet sensus, aut motus aliquis mechanicus. Sensus quidem ut in Galenico exemplo suprâ memorato, & motus ut in sacerdote Rutheno, de quo jam diximus.

Laxitas fibrillarum Emporii Catalepsim constituit; reliqua verò mera sunt sensibilia latentis morbi symptomata. Ideòque Catalepsis Pathologicè definiatur; *Intemperies frigida & humida Emporii, ex quâ solæ illius fibrillæ præternaturam laxantur.* Serum laxans erit proxima & immediata hujus morbi causa. Sed unde serum illud, textum fibrillarum Emporii irrorans, madidans, laxans? ex vasorum earumdem fibrillarum Sanguiferorum compressione, obs-

tructione, constipatione, & subsidentiâ. Si hæc vasa notabiliter compressa, vel leviter obstructa simplicem seri hærentiam absque ullâ extravasatione producant, periodica erit Catalepsis. Eritque continua, si serum extravasatum in textu, resorberi nequeat. Tumores œdematosi manuum, pedum, & faciei per periodos recurrunt, quando serum propria vasa relaxans non extravasatur; sunt continui, dùm effunditur idem serum per vasorum interstitia, vel dùm effluit in peculiarem cavitatem, ut in Hydrope pectoris, Ascite, & Hydrocele videre est. Idem profectò contingit in Emporio Catalepticorum. Id observatum est in apertis post mortem Guillelmi Bousquet, & Joannis Soladier capitibus, in quibus notabilis seri copia interiorem cerebri textum irrorabat. In Hydrocephalo multo major effusi seri copia reperitur absque prægressâ Catalepsi, quia serum non fuerat imbibitum intra textum fibrarum Emporii, quemadmodum in Ascite non laxantur abdominis viscera, tametsi diù aquis immersa. Nec mireris Catalepsim subitò invadere; invadunt quoque subitò Apoplexia & Epilepsia. In his totum infarcitur cerebrum. In Catalepsi solæ Emporii fibrillæ laxantur. Idque in subjecto disposito facilè deduces ex agendi modò causarum remotarum. Laxantur faciliùs Emporii fibræ in naturaliter stupidis, & Melancholico temperamento donatis; quia in iis fibræ debiliùs vibrantur. Ad Catalepsim disponunt fortiores animi contentiones; tùnc enim Emporii fibrillæ vehementer & inæqualiter vibran-

tur. Moderata & ordinata vibratio, humorum circuitum fouet; vehemens vel inordinata, turbat, & cohibet. Aliæ causæ remotæ ex abusu sex rerum non-naturalium depromptæ eodem porsus modo concurrere possunt ad Catochem producendam, quo concurrunt ad consimiles morbos ejusdem intemperiei. Veluti aër frigidus & nebulosus, alimenta crassa, viscida, & austera quæ chylum acidiorem Sanguini suppeditant, vita deses & otiosa, diuturnus somnus, vel excedens vigilia, serosorum humorum suppressio, studium immodicum, similiaque plurima.

DIAGNOSIS.

Extasim aut Melancholiam nonnulli confundunt cum Catalepsi, præsertim Rondeletius & Tulpius. Ille sic loquitur meth. med. Cap. 20. *Puella erat annos nata 15. quæ nupserat juveni cuidam, quem parùm amabat. Cum eo vixit tantùm 8. dies antequàm corriperetur hoc morbo præ mœrore. Ratione morbi rediit in domum patris, in quâ hoc morbo nunquam vexabatur, nisi cùm de marito cogitaret, vel audiret de eo mentionem fieri, aut etiam si illâ nesciente ad illam maritus veniret, prinsquàm illum videret aut audiret. Quod si esset in viâ gestans hydriàm aquæ, eam deponebat & sedebat, & per aliquot horas in eo statu remanebat, sedens vel decumbens, oculis & ore aperto, sine sensu & motu aliquo, nisi quòd musculi ventris & costarum infernarum multùm movebantur.* Tulpius verò lib. 1. cap 22. *Juvenis Britannus impensiùs, ut solet illa ætas, amori indulgens, percussus fuit*

adeò vehementer ex inopinatâ matrimonii repulsa, ut obriguerit instar stipitis, sedens in sedili suo Catochus, sive detentus, sive congelatus per integrum diem, retinensque continenter eumdem situm, & oculos non minùs apertos. A quâ figurâ ne latum quidem cùm recederet unguem, Jurasses certò te statuam potiùs quam hominem videre, adeò quippe fuere omnia non modò rigida, sed planè immobilia. Verùm ubi exclamaretur altâ voce, rem ipsius meliori esse loco, & cupitam habiturum amicam modò ad se reverteretur, prosiliit confestim ex sedili, & quasi excitatus ex profundiori somno rediit actutum ad se, disruptis protinùs illis vinculis quibus ipsum arctè illigaverat tenacissima hæc Catoche. Melaucholiâ, non Catalepsi, laborabant juvenis ille Tulpianus, & nova nupta Rondeletiana; delirabant enim circa unicum objectum, cujus ratione fortiùs attonita atque delira illorum mens rapiebatur in extasim. Simile quid quotidiè in praxi observatur, non solùm in Melancholiâ morbo, verùm etiam in Maniâ & Phrenitide; interdùm quippe ejusmodi delirantes obmutescunt subitò, immoti remanent, apertos habent oculos, nec tamen vident, nihil audiunt præter ea quæ conveniunt objecto delirii, tùnc interrogati inconcinnè loquuntur, quiâ delirant. Secùs Cataleptici; abolentur enim penitùs in iis functiones animales. Quâ de re si dubitas, consulantur Joan. Raymund. Fortis Consult. & Resp. med. Tom. 1. Centur. 1. Fernelius Lib. V. de partium morbis & symptomat. Hystoriâ 2. Isbrandus Diemerbroek de morbis Capitis

Medic. 9. Petrus Forestus obs. 41. Libr. 10. & Henricus Regius apud Theod. Craanem Medication. Lib. 1. Extatici velut extra se rapti semper aliquid attentè contemplantur, ac dein cùm perfectè sani, sunt distinctè contemplationis recordantur, & mira prædicant. Cataleptici vel nihil omninò cogitant dum morbus est perfectus, vel obscure duntaxat recordantur rerum paroxysmi tempore transactarum. Cave ne congelationem & siderationem cum Catalepsi confundas. Frigore Congelatus rigidus est, & rigiditatem servat. Sideratus priorem situm retinet, sed frustrâ illorum membra moverent adstantes; hæc vel ob rigiditatem resistunt motioni, vel in pulverem abeunt si fuerint fulgure consumpta.

Sic distingues Catalepsim ab Epilepsiâ. In illâ facilè possunt adstantes membra movere, non in Epilepsiâ. Cataleptici remanent in eodem situ in quo erant invasionis tempore; Epileptici verò priùs stantes, sedentes, scribentes subitò in terram concidunt. Concidunt etiam Apoplectici, eorumque membra semper sunt præter naturam flaccida. Ut ab omni soporoso affectu facilè Catalepsim distinguas, move ægrotantis membrum; inditum si retineat situm, Catalepsim pronuntia. Eam verò distingues hoc pacto ab animi deliquio. Corpus frigidum est in Syncope, abolitus est vel imminutus pulsus, cadaverosus facici color; in Catoche verò corpus est naturaliter calidum, pulsus naturalis, floridus totius habitûs color. Jacentes Cataleptici videntur apertis oculis naturaliter dormire nec tamen dormiunt, multò minùs vigilant. Hi essent

perfectè sani, nisi laxarentur eorum Emporii fibrillæ, quarum vibrationibus sentimus & loco movemur.

PROGNOSIS.

AFFECTUS rarissimus Catalepsis; siquidem Emporii fibræ indesinenter vibratæ ita propellunt humores transvectos, ut vix hærere possint in ductuum textu, quin simul hæreant in reliquo cerebro. Tunc autem non producitur Catoche, sed alii capitis affectus. Cùm serum, quo laxantur Emporii fibræ, extravasatur, difficiliùs resorbetur quàm cùm hæret simpliciter in propriis vasis; hinc vera Catalepsis continua plerumque lethalis. Periodica curationem admittit. Complicata difficiliùs curatur quàm simplex; perfecta quàm imperfecta; quæ succedit febribus malignis aliisque morbis, quàm quæ morbus est per se primarius & adventitius. Catalepsis interdum convertitur in Fatuitatem. Lethalis verò facescit sæpè in Epilepsiam aut Apoplexiam fortem, serpente scilicet infartu & labe ab Emporio ad universum cerebrum. Membrorum calor, florida facies cum naturali pulsu curabilem demonstrant Catalepsim; contraria contrarium præsagiunt.

CURATIO.

IN curandâ Catalepsi eæ debent esse præcipuæ indicationes, ut debitus humorum circuitus per Emporii textum restituatur, & hærens vel extravasatum serum resorbeatur vel discutiatur. Proinde si vires ferant, si floridus sit faciei color, pulsus & calor naturalis percipiantur, secetur vena, primùm ex cubito ad depletionem, dein ex malleolo ad revulsionem, tan-

dem ex collo ad derivationem. Depletis vasis sanguiferis praescribantur Emetica anò & katò. Non modò ut eliminetur humorum saburra in primis viis latens, verùm etiam ut vomendi conatibus humores promptiùs circulentur per universum corpus, Emporiumque liberetur ab infartu. Si pallida facies, frigiditas extremorum, pulsûsque debilitas imminentem mortem praesagiant, abstinendum à venaesectionibus, & illicò recurrendum ad Emetica. In utroque casu danda est opera ut sensuum externorum nervi vehementèr vibrentur, & ità discutiatur exundans serum in eorum extremitatibus quae constituunt Emporium. Concutiantur ergo Catalepticorum membra, contorqueantur digiti, nasus, aures externae, retrahantur pili, avellantur. Acriora medicamina praesertim spirituosa infundantur ori. Insufflentur naribus Sternutatoria, aliaque similia perficiantur quae in Syncope, Apoplexiâ, Epilepsiâ forti, & soporosis affectibus celebrari solent. Discusso semel morbo, ne redeat paroxismus praescribatur victûs ratio quae moderatè calefaciat, & notabiliter exsiccet; *Aër* sit calidus potiùs quàm frigidus, vitetur nebulosus, crassus, pluviosus. *Cibus* sit boni succi & facilis coctionis, non vaporosus, nec flatulentus. *Potus* sit ex decocto aperienti cum vino generoso. *Somnus* & *Vigilia* mediocritatem servent. Diuturniori somno torpescunt fibrae cerebri, flaccescunt longiori vigiliâ. Simili ratione *Motus* & *Quies* moderatè regantur. *Excreta* & *Retenta* teneantur in naturali cursu, praesertim transpiratio & lotium; Serosi humores excre-

mentitii debitè excernantur, & alvus semper libera servetur. Ea vitentur animi *Pathemata* quæ Catalepsim præcesserunt. Inter Pharmaca selige quæ Cataleptico conveniunt, temperamenti, sexûs, & ætatis ratione. Si coctio læsa morbum foveat, feliciter usurpabitur cortex Peruvianus. Sed ut præcipuæ intentioni curativæ fiat satis, ad vitandam morbi recidivam expurgetur superfluum sanguinis serum per diaphoresim, diuresim, & catharsim; usurpentur quoque vesicatoria, aperiantur fonticuli. Hæc suo quæque tempore vocentur in usum, sed præsertim cathartica, quæ maximam seri copiam educunt, unde dicuntur Hydragôga. Ejusmodi sunt Jalappæ radix, ejus resina, Scammoneum, Colocyntis, Euphorbium, Elaterium, Gutta gummi, & similia. Hæc non virtute electivâ, ut credebant majores nostri, serum expurgant, sed quia multò validiùs & citiùs quàm alia cathartica partibus suis integrantibus agunt in sanguinem & intestina, exsolvendo sanguinem, intestina irritando. Ideòque hæc usurpanda non modò extra paroxysmum, sed & paroxysmi tempore; hinc liquescent humores fluentque liberiùs, ventriculi ac intestinorum nervi validè succutientur, Emporii fibrillæ serum excutient, & quod superfluum est in toto sanguinis lacu citò per anum expurgabitur. Sic proxima omnis Catalepseos causa discutitur, educitur, præcavetur.

ERGO

Catalepsi Hydragôga.